



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Sanderi Presbyteri, S. Th. Licentiati Hagiologivm  
Flandriae Sive De Sanctis eius Prouinciae Liber vnus**

**Sanderus, Antoine**

**Antverpiae, 1625**

Ivlianvs Confessor. Gandai.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10172**

SS. Petri & Pauli sexto Kal. Nou. dedicarunt. In eo Cœnobio primum Monachis ad seruiendum Deo constitutis pastor vigilantissimus datus est Ionatus beati Amandi discipulus. Verum postea rationi consentaneum visum est (quoniam sua bona B. Rictrudis huic loco consecravit) ut ibidem & sanctimoniales collocarentur, quæ quidem per annos 333. vel circiter Ecclesiam Marchianensem rexerunt. Post Normannicam vastationem Leduinus Abbas Vedastinus, petente Balduino Flandriæ Comite Monachos Benedictinos eo in loco constituit. De Ionato versus citat hos Miræus scriptos in ambitu chori Marchianensis:

*Diui Ionati corpus hic sanctissimum  
Reconditur, &c.*

### IULIANVS CONFESSOR.

*Gandavi.*

19. Mar. **N**Vmeratur, inquit Molanus in natalibus hac die, à Nodgero Episcopo Leodiensi inter Sanctos qui in Wintershouen cum B. Landoaldo Archipresbytero quieverunt, & inde Gandauum sunt auecti; scribitque eum & simul Landradam virginem, ac B. Adrianum martyrem iussu diuinæ visionis eleuatos fuisse per Sarabertum Presbyterum ex luto & cisternis, quibus ob Normannicam vastationem fuerant incluso. Reperta sunt etiam in cisternis nomina eorum exprompta in breuiculis. In hac autem translatione, quæ facta est tertio Nonas Martij Sigeburgis Hydropica matrona sospitatem recepit.

IDA